IN HENRICUM FRIDERICUM PRIMOGENITUM JACOBI

Ter maximi Regis magnæ Britanniæ, Galliæ, & Hiberniæ: *Sereniſſimum vero* WALLIAE Principem, morbo de hac vita decedentem Novemb. 1612

Lachrymæ ALEX[r]. JULII Scoti, *ſuo & conterraneorum* ſuorum nomine, *Namq́; ab Uno diſce omnes.*

[redacted] [redacted]

[redacted] [redacted]

EDINBURGI,

Excudebat *Thomas Finlaſon*, Typographus Reg. Majeſt. 1612.

14848

Mcllaghtt

IN HENRICVM FRIDERICVM PRIMOGENITVM

IACOBI *ter maximi Regis magnæ Britanniæ, Galliæ, & Hiberniæ: Sereniſſimum vero* WALLIAE *Principem*, morbo de hac vita decedentem Novemb. 1612.

Lachrymæ ALEXr. IVLII Scoti, *ſuo & conterraneorum* ſuorum nomine, *Namq; ab Vno diſce omnes.*

ME miſerum, quænam patrias ingrata per oras
Verane, fama volans noſtras allabitur aures?
Cunctorumque nova impellit formidine mentes:
Quám cuperem narrata palam, commenta fuiſſe!
Quæ Dea fœda virûm paſſim diffudit in ora.
Si ſola terrarum, & flammantia mænia mundi,
In ſua naturæ diſcordia ſemina primæ
Lapſa ruant, nec jam rebus ſua forma maneret;
Si ſuper-inducta tellus ſtagnaret ab unda,
Ceu foret extentum ſuper ardua culmina velum;
An magis informi ſtupuiſſent numina mundo
In Chaos, inque ſuum vultum remeante priorem?
Quám dolor atque imis, ingens quám cura medullis
Fixa, novi gravitate mali perſæpe recurſans,
Perculit attonitam, quám triſti vulnere mentem!
Ut ſtupor *Aglauri* ſenſus urgebat inertes,
Membraque, ut amiſſo pallebant ſanguine vultus,

14848

Cum lathalis hyems ſerpens in pectora clauſit
Vocis iter, genuum junctura rigebat, et ora
Duruerant, ſaxum ſignumq; exſangue jacebat:
Sic mihi ad allatam torpebant pectora famam
Quaſſatæq; ratis decumana regis ab unda,
Turbatæque domus, thalami miſtique jugalis
Luctibus, & patris natum ſine teſte gementis,
Tum proclinantis ſublato principe regni,
Ceu conſternatis pateat jam mænibus hoſti;
Ille ubi bis nonis annum conjungeret annis,
Sic dolor et vocem, et lachrymas introrſus obortas
Devorat, amenti languebant lumina motu,
Exanimoque alij fugiunt e corpore ſenſus,
Diriguere comæ, cum duro lingua palato
Congelat, utque animi fit corpus inane cruoris,
Nec lachrymæ lenimen erant luctuſve levamen.
Hîc licet *Ægeriæ* fundantur flumina fletus,
Miſceat ut *Tameſis Glottam* fluvialibus undis,
Obrutaque undoſo mergatur ut inſula ponto,
Ut vitreo mundi ſuſpenſæ fornice lymphæ
Continuos totidem luces ſolvantur in imbres,
Triſtia quot poterunt renovari ſecula *Nohæ*:
Cum tamen hîc tanto miſcerier omnia luctu
Cernere ſit, quanto tum, cùm manus improba ſævit
Pulvere ſulphureo regalem extinguere ſtirpem,
Obſtupuit ſubitæ magno terrore ruinæ
Gens humana gemens, & totus inhorruit orbis;
Dicite jam, quænam lachrymarum flumina tantis
Diluviumve malis, aut flendis Æquora damnis
Sufficiant, fontes & abyſſi ut clauſtra revellant;
Quanta dedit rerum naturæ funus acerbum,
Dulcibus inſeruit ſeſe quod principis annis,

Cum

Cum viguit primæ tantúm lanuginis ætas:
  Hac velut extincta cœleſti lampade, pullo
Ceu tenebris merſæ doleant velamine terræ,
Impia *Nerida* ſecum ſi flere volebat
Funera fatidici populum clementia regis,
Pro dape continuum lachrymis pavitq; dolorem
Jeiunus, traherent dum ſera crepuſcula noctem:
In ſua ſi *Saulis* converſam viſcera dextram,
Fataque iurati gemuit crudelia nati,
Quod ſacer in ſacro populo tum morte periret
Ante diem, & dextra princeps cecidiſſet iniqua,
Regibus ingrati hîc regni reddantur honores,
Hîc Tyrio valeant ardentes murice pallæ,
Imperii gemmis, auroque inſigne decorum,
Et ſegmenta, ſacro capiti Diadema revulſum;
Cum iubar occiduum regnis regale tenebras
Inferat, atra dies nigræ ſolennia pompæ
Poſtulat, & foribus taxum, tumuloque cupreſſum.
  Vos laceræ lateri noſtro agglomerate Camœnæ,
Et comiti extremum concedite ſponte laborem;
Triſtia ſint lachrymis lamenta impenſa profuſis,
Manibus inferiis miſſis, cinerique ſepulto,
Queis veſtri haud expers pulvis videatur amoris,
Queis libeat ſinon licet, hanc æquare querelam,
Et iuvet erectum toties explere dolorem;
Artis erat veſtræ cultor, cultoribus idem
Artis *Apollineæ* decus & tutela profeſſis:
Viueret, ille ſacris hauriret fontibus undam,
Pone ſequens tantum referenſque per omnia patrem
  Vos quoque rimantes acie penetralia cœli
Abdita, & humanos longè fugientia viſus,
Et vivo æterni paſcentes lumine verbi

Corporeis clauſas vinclis, & carcere mentes,
Ætheris ex oris & celſa ſede petitas,
Denuo quas cœli ſplendentia templa receptent:
Fercula & aſſiduo irroretis pocula fletu;
Luctibus & mœſto juvet indulgere labori,
Et gemitus tumulo & verba eluctantia ferre:
Si certum eſt habitaſſe alto ſub pectore numen,
Sique novos ritus horrentem & ſacra profana,
Æmula *Ioſiacæ* pietatis fama coronat:
Indolis eximiæ nec ſpem foviſtis inanem,
Hunc fore præſidium puræ pietatis amantûm,
Illius armatæ metuendaque fulmina dextræ
Hoſtibus, ex terra & ſcelerato ſemine natis,
Affectare auſis regnum cæleſte, propago
Illa giganteæ ſtirpis iam gaudia quanta
Clauſa ſinu cumulans, recreatur vulnere noſtro!
Nec minus hunc, quorum ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, florem roſeæ lumenque juventæ,
Et quibus inceſſu tremulo venit ægra ſenectus,
Debilitans animi vires, mutanſque vigorem,
Si ſine labe manum, ſinon ſine mente gerebat
Herculeos valido diſtentos robore nervos,
Neſtoreumq; ſimul iuvenili in pectore ſenſum;
Si decorat raras divina modeſtia dotes,
Ferte pios fletus feralia munera buſto,
Semper eam lucemque locumque habeatis acerbum.
Denique vos orbis, vos ruris & urbis alumni,
Sive gravem duro terram ſulcatis aratro,
Seu quibus herboſos errant armenta per agros,
Delicias villæ, lætoſque relinquite campos,
Grataque mobilibus rivis pomaria, ſaltus:
Seu quibus eſt plebi dare vel fas dicere iura,

His tria ſollicitis ſileantur verba diebus;
Et quibus in mediis res cum ſpe ponitur undis,
Quos juvat inſano merces concredere ponto;
Tum quibus eſt ſtudiis quædam concordia junctis
Artifices, operas noctesque dieſque fatigans
Turba, vel appoſito poſtponens omnia lucro,
Tum quibus eſt cordi tereti devolvere fuſo
Mollia penſa leves urgentes ſtamina Nymphæ,
Funereo mœſtos queſtus edatis honori:
Omnia in humanis ſemper nutantia rebus,
Fallaces ſpes, nil ſtabili munimine tutum,
Irrita vota hominum, nunquam ſecura voluptas
Inſtabileſque vices, & tanta incommoda rerum
Imbre rigare ſinus moneant, & pectora palmis
Tundere, flebiliter ruptiſque ululare capillis,
Hocq; animam ſaltem dono accumuletis inani,
Quod ſit perpetui argumentum & pignus amoris:
Si modò poſt columen, ſpem præſidiumque ſalutis,
Proxima fortunæ, fuerat ſpes pendula veſtræ
Principe de tanto, claris virtutibus orbe,
Quem regeret majore ſuo; quo ſoſpite ſummnm
Et decus imperii & patriæ floreret imago:
Ille animis dextraque valens, mens proxima cœlo,
Magnanimo par dextra deo; ſi bella cieret
Aut vera, aut ſumptis pugnæ ſimulachra ſub armis,
Hunc neque *Pellæi* terrerent tela tyranni,
Nec timor ille *Phrygum*, & Trojæ populator *Achilles*,
Nec *Telamone* ſatus, nec eum *Tirynthius* Heros:
Obvius haud illi quiſquam ſe impunè tuliſſet
Armato, adverſum ſi vel pedes iret in hoſtem,
Aut in equo texat *Martis* fera prælia ludo,
Spicula contorquens validis vibrara lacertis

 Aſt

14848

Aſt ubi certamen directum inſtruxit equorum,
Nunc alios iniens curſus, alioſque recurſus,
Aut circo impediens alternos orbibus orbes;
Non gyro, recto non curſu cederet ulli:
Quidlibet egregium cupiens tentare decenter,
Munera victricis tulit & præconia palmæ,
Cum fremitu plauſuque virùm, ſtudiiſq; faventum;
Omnibus arriſit ſpecioſo e corpore virtus:
Tantus amor laudis, tantę eſt victoria curæ,
Tanta fuit rerum geſtarum grata venuſtas.
  Si neque regalis thalami ſors prima fuiſſet,
Nec fatale foret regni moderamen aviti,
Si neque magnorum titulos jactaret avorum,
Nomina nec veterum commendent clara parentum,
Cui genus a longo demiſſum eſt ſanguine regum;
Si ſeſe egregio ſine nęvo corpore ſolvens
Exuat; Ille tamen generoſæ mentis haberet
Ut morum, ingenitæ ſic nobilitatis honorem:
Cúmque ſuos omnes prudens direxerit actus,
Conſilio ſummo res & ratione gubernans,
Magna manu magna ſublimi pectore tractans,
Seque alioſque alto certans æquare labore;
Qua foret hic tandem regnandi præditus arte?
Quanto juſtitiæ ſtudio, pietatis amore
Jura daret populo? & legum flexiſſet habenas
Ad patriæ æternam pacem, regniqe ſalutem?
Regibus & regnis ſuccedere dignus avitis;
Dignus & extremis latè dominarier Indis,
Et cui nec metas vitæ, nec tempora rerum
Poneret æternas mundi qui flectit habenas:
Ille per ingenuas vivum caput extulit artes,
Quo foret inde ſui prudentia florida ſecli,

Nobilitas ut erat, gravibus ſic gratia verbis
Mitis, at affuſo labris decorata lepore,
Cum vultu his geſtus reſpondit amabile ſpirans;
Poſſet ut afflictas cauſas orare ſuorum,
Et gravis ira gravi patrum miteſcere voce.
Pluris erat nemo: ſi vitæ labe carentis
Sit pretium, fuit exemplum venerabile morum;
Nulla voluptatum tam fertilis aula malarum,
Nullaque laxatis graſſata licentia frænis,
Illius inflexit ſenſus, animumve labentem
Impulit, ut caſti violaret jura pudoris;
Laude pudicitiæ, præſens & priſca premebat
Secula; quó veris nomen virtutibus æquet,
Pectora candorem vincebant pura nivalem,
Non dubia ſpectata fide, fiducia rerum
Ille *Britannarum* tandem, ſi vita maneret,
Rebus in anguſtis et portus & ara bonorum.
Non de gente hominum reverentior ulla parentum
Pregenies, patriis faciendis ſtrenua juſſis,
Officiis dilecta ſuis; fœlicior unquam
Germanæ an pietas erit? aut concordia fratrum?
Quam natura fovens tenero convictus ab ævo,
Ingenium canos par confirmaſſet ad annos;
Corporibus fuerant tres, tantùm mentibus unus,
Nunc duo corporibus ſuperant, ſed mentibus unus;
Tertius *Elyſium* repetens, ſedeſque piorum,
Quo prius ille ſolum, ditat nunc lumine cœlum.
Si prece vel pretio flecti, vel fata retexi
Poſſent, lanificas aut exorare ſorores,
Ne ante diem roſeæ rupiſſent fila juventæ,
Non pater aut nato tantùm, non Principe regnum,
Ullave ſe tanto tellus jactaſſet alumno.

Noc

14848

Nos licet humanæ nihil ultra ſortis honorem
Hîc canimus, largæ memorantes munera dextræ
Divinæ, quæ ſola poteſt, nihil indiga noſtri
Auxilii, incolumem populum per ſaxa, per ignes,
Per mare, per medios hoſtes ſervare furentes;
Ut nos ſola DEI teneat fiducia noſtri:
Quem tamen & tanti & talem genuere parentes,
Invidere ſolo patriæ pia numina noſtræ,
Indignata ſui monumentum, & pignus amoris,
Progeniemque polo lapſam, genus eſſe Deorum,
Et patrio nimiùm ſerò ſuccedere cœlo;
Tam coluiſſe diu terras jam cæde madentes,
Quas verum, quas alma fides, quas virgo relictas
Aſtræa, & bonitas, ſummi reverentia patris,
Caſta pudicitiæ, & pulchræ concordia formæ,
Gratia fraterniſque animis, & debita cunctis
Deſeruere; tenent fraudes, violentia, lites,
Civibus inſidiæque bonis, regnoque paratæ,
Armaque tartareis primúm conflata caminis,
Tum damnoſa *Venus*, tum nocte latentia furta.
Quidnam aliud nunc ſunt ſpurcæ, quàm tartara, terræ?
Multane proſtibulis ſunt oppida plena nefandis?
Quælibet en pretio virgo, matronaque pacto
Proſtat, & impura non cuncta libidine ſordent?
Non Athei ſolum ſic defecere profani,
Ludicra non animi venerantes ſomnia vani,
Pura peregrino vitiant qui dogmata cultu;
Maxima pars ſecli morbis jactatur eiſdem
Pene ſeneſcentis, jamque in peiora ruentis,
Sic numero exigui non ſunt, quos labe petitos
Communi invenias paſſim per rura per urbes:
Hos igitur vitii ut dedimus ſementibus auctus;

Sic gravium molem metimus meſſemque malorum:
Namque tot haud una commiſſa nefaria pœna
Jam luimus, *Iovæ* librataque vulnera dextræ
Senſimus, ecce æſtu rapido periere labores
Agricolis, ſteriles exuſſit Sirius agros;
Aruerant herbæ, & victum ſeges ægra negavit,
Ferrea jam tellus, quòd cœlum nuper ahenum
Abnuerat pigris genitabile ſemen agellis;
Relliquias æſtus ventorum flamina trita
Grana per intonſos ſparſere, ut ſemina, campos;
Quæ ſegetum metæ ventos fugere voraces,
Nubibus effuſis pereunt pluvialibus undis:
Sic enecta fame torpeſcunt corpora plebis,
Qua libuit domino ingluviem compeſcere fædam.
  Hic animus meminiſſe horret, quæ incommoda nobis,
Quantaque jam data ſint, noſtris cùm tabida membris
Veniſſet miſeranda lues, & letifer annus;
Liquimus hîc dulces animas, aut traximus ægra
Corpora vixque inopi licuit jejunia victu
Solvere, tanta brevi facta eſt jactura peculi.
  Prætereo quoties civili afflicta furore
Terra *Britanna* fores, & quanta incendia belli
Sæpius adverſi externus jam fecerit hoſtis:
Huc etiam tenuis famæ perlabitur aura,
Quòd lacera incedat gaudens diſcordia palla,
Sanguine quam tincto ſequitur *Bellona* flagello,
Turpe miniſterium non averſata, minatur
Limina concluſi ferrata recludere belli;
Sic meritum eſt noſtrum ut pœnas pendamus, eòque
Bellonæ arcano pulſantur pectora motu;
Sed gravius multò belloque nocentius omni
Hoc ſub ſole malum, noſtræ quòd gloria gentis

Exem-

Fxemplar morum, divini pignus amoris,
Et validum tandem ſceptri munimen aviti,
Delitiæ dulces & maxima cura parentum,
Primorum princeps procerum, flos integer ævi,
Ante diem fato fuerit præreptus acerbo,
Liquerit has oras ſecum penè omnia vertens.
Nos te criminibus noſtris dulciſſime rerum
Ceu gravium jactu ſaxorum ſæpe petitum
Obruimus, foret hoc nobis jam dulce paciſci
Quamvis pro vivo mortem, niſi fata negarent.
Tot domitis tandem pœnis commiſſa fateri,
Et lubeat lugere ſimul, ne vulnera, clades
Acceptas potius quàm lapſus, ſemina labis,
Et ſcelerum tetras maculas gemuiſſe putemur,
Quas velut umbra comes ſequitur male conſcius horror,
Numinis ira ultrix, quam nunc ſic deprecor omnem.
Magne Parens, quem terra tremit, mare, ſidera, cœtus
Tartarei, ſuperiq; chori, quem magna patrantem
Mira manu exhorrent ſubmiſſa mente tyranni;
Luceat ut cunctis mitis clementia terris,
Atteſtans noſtra miſera te ſorte moveri,
Frange animos mærore gravi, ut fugienda peroſi
Plangendoq; hominem veterem plangenda cavere
Diſcamus, ſobolique tuæ mala culpa pudori
Sitque odio ſcelus exoſæ, ſint vulnera læſæ
Naturæ, ſtygio infuſum ſerpente venenum
Sanguinis innocui lotumque aſpargine, Numen
Utque tuum lætis placatum funere Nati,
Ejus ad exemplum liceat componere mores,
Clauſa prius tenebris pandantur lumina mentis,
Ut propius ſacri cernamus fœdera pacti, et
Formula ſit noſtræ tua Lex & ſemita vitæ;

Teque

Teque ducem læti comites & ſponte ſequentes,
Relliquias tantæ cladis cum ſtirpe tueri
Digneris, ſolido velut ex adamante columnas,
Tanta quibus niti poſſint fundamina regni.
Ut Jubari occiduo Jubar e regione coruſcans
Lumine luminibus tenebras mœrore coortas
Diſcutiat, pullato abigat cava nubila regno
Triſtitiæ, & mala cuncta levans data damna rependat:
Sic animos hilarans flentes commiſſa bonorum,
Quod meruere velis pravis advertere numen:
Fama tui & tanti ne aboleſcat gratia doni,
Adde etiam reliqua ut conſtet ſine crimine vita;
Ne de more canum vomitu, quem fecimns olim,
Denuo paſcentes, & ſervum pectus habentes
Jam prius exutis vitiis, fatale ſequatur,
Et vetera excipiat nunquam reparabile damnum:
Arbor enim multo cecidit ſi florida ſucco,
Quid de-nudato fiet ſine palmite trunco?
Si Deus eximium ſylvæ decuſſit honorem,
Ipſa Cupreſſeti ſummo minitantia cœlo
Culmina, quantus humi reptantibus uſque rubetis
Debeat eſſe metus, totum cùm ſæva per orbem
Fulminet intendens cunctis mortalibus arcum,
Spiculaque exacuens duræ inclementia mortis;
Queis petat inſignes gemmis auroque coronas,
Queis domini terræ, pereuntque ingentia telis
Mænia; nunc *Babylon* cum *Medo*, & *Troja* ruinas,
Proque opibus tanto quæſitis ſanguine *Roma*,
Græciaq; everſos tumulos oſtendit avorum:
Nomina cum ſaxis monumentaque morte fatiſcunt,
Sternit humi tenuem mors & ſine nomine plebem,
Injicit obſcuraſque manus juvenilibus annis,

Et ſenibus pueros & ſceptra ligonibus æquat,
Priſcaque venturo & præſentia ſecula ſeclo.
Scilicet hæc tanquam pallentis limen averni,
Quanquam animas trepido luctantes corpore ſoluat
Sordibus infames ſcelerum; ut cœleſtibus oris
Excluſas, tenebris vinctas & carcere cæco,
Demittat diri tremulis horroribus orci;
Ut meritis pœnis commiſſa nefanda luentes,
Supplicia expendant veterum ſine fine malorum:
Illa bonis tamen haud ſubitum improviſa tumultum
Aut metuenda tulit, pretioſi muneris inſtar
His venit, extremum finem factura laborum;
Debita virtuti ut tandem ſua præmia carpant,
Gaudia, quæ vitæ manant e fonte perenni,
Æternumque decus, tranquillæque otia pacis,
Et lucem roſeo manes ſplendore foventem,
Lucem vel medii vincentem ſpicula phœbi;
Omniaque hæc majora ſuis potioraque votis,
In quæ nulla datur ſorti mortive poteſtas.
Fœlices animæ, quas nec iam noxia tardant
Corpora, nec ſcelus, aut concretæ ſemina labis,
Et quibus in tuto res eſt, procul exulat omnis
Et dolor & metus & non defæcata voluptas;
Queis iam parta quies, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua, quas patrii tranſmittunt limina cœli,
Quæ puro æthereo ſenſu lætantur, & igni
Simplicis aurai, & turmis cœleſtibus uno
Se ſociante Deo, & radiantis lumine vultus,
Quarum vivifico dominus perfudit odore
Buſta reſurgentis nati, ut rediviva reſumant
Corpora in adventu incorrupti iudicis orbis;
Quæ ſubeant ſpretis cœli faſtigia terris,

Ætern-

Æterniſque bonis æterna, in ſecla fruantur.
Janua cùm cœli, cùm mors ſit meta malorum
Ultima, ſupremo quem lumine vita relinquit,
Stultitia errantem longè qui deſerit orbem,
Qui fugit ærumnam, & miſeri contagia mundi;
Hunc fas perpetuis non eſt deflere querelis,
Neſtor ut *Antilochi* fatum, vel funera nati
Evandrus, nullo fidei quos copula vinclo,
Aut Domino rerum nexu devinxerat arcto;
Spes quibus eſt omnis vitæ præciſa futuræ,
Qui rediviva animas in corpora poſſe reverti
Nec ſua confidunt, nec frangi ſpicula lethi.

PRÆCEDENTIS THRENODIÆ brevis Explanatio.

Me miſerum] Exordium huius Threnodiæ illuſtratur exclamatione addubitantis ſitne vera an falſa horrenda illa iniucundiſſimi nuncii fama paſſim celebrata.

Si ſola terrarum] iniucundiſſimum nuncium ſequitur ſtupor ut eius effectū, cuius deſcriptio eſt a comparatis, hoc modo, ipſi cœlicolę non magis obſtupeſcerēt ſi mundi machina diſſolveretur, & in antiquum Chaos rediret; nec *Aglauros* converſa in ſtatuam ſaxeam omnes ſenſus magis amiſit, quám illo nuncio omnes tum animi tum corporis noſtri ſenſus abierunt

Hic licet] ſtuporem excipit dolor duplex, 1. ob malum pœnæ, 2. pòſt, ob malum culpæ, doloris effecta hîc ſunt lachrymæ hyperbolicè deſcriptæ ad amplificationem damni accepti, & doloris inde percepti a tota rerum natura, quæ commune malum meritò lugeret.

Hac velut ext.] Subiicitur hortatio ad omnes cuiuſcūque loci, vocationis, ætatis, & ſexus homines, ut cum authore veſtem lugubrem, lachrymas, lamenta, planctus, ejulatus, & gemitus, doloris ſui teſtimonia tanquam inferias tanti Principis tumulo conſecrare velint, rationes ſingulis hortationibus ſuo quæque loco adhibentur. Hîc prima hortatio eſt ad Reges terrarum, ut *Davidis* exemplo flentis mortem *Abneri*, *Saulis*, & *Abſholomi* mœreāt hîc etiam, quôd Princeps in Iſraele cecidiſſet.

Vos laceræ.] 2. Hortatio eſt ad doctrinarum ſtudioſos ut tanti Regis primogenitum, literis a pueritia deditum, jam vita functum lachrymis proſequantur.

Vos quoq.] 3 Hortatio ad Paſtores Eccleſię, ut principem purędoctrinę & morum ſtudioſum, & aſſertorem tanquam alterum *Ioſiam* vitam cum morte commutantem gemant.

Nec minus hunc.] 4 Hortatio eſt ad Juvenes & Senes, ut cum hos animi prudentia, illos vero corporis bonis non æquaret ſolum, ſed etiam longè ſuperaret, diem locumque obitus illius ſemper mœſtum habere velint.

Deniq. vos orb.] 5 Hortatio eſt in genere ad omnes pios orbis incolas, cuiuſcunque ordinis aut ſexus, ut queſtu ſuo, fletu, & planctu, eius ſepulchrum honore proſequantur, quem in vita tanta animi celſitudine, tanto decore & venuſtate res ſuas gerentem, tandem ſi vita longius frueretur, offendiſſent omnibus imperatoriis virtutibus ornatum ad Eccleſię & reipublicę utilitatem.

Si neq. regalis.] Commemorantur hîc aliæ ejus laudes promiſcuè ſic fluctuante ſcriptoris affectu, ut qui in cęna dubia neſciat, cui primúm ferculo manum iniiciat: recenſentur inquam generis & animi nobilitas comparatè, prudentia, animi magnitudo, ſtudium Juſtitię, regię virtutes repetuntur; adduntur doctrina, vox, vultus, geſtus plenus gravitatis, leporis, & amoris, quibus uſus eſt in negotiis ſuorum, vitę integritas, pudicitia, candor animi, fides, reverentia in parentes, concordia fraterna, & c.

Vos licet.] Hæc omnia generis humani cauſa eum in collata, tametſi de illo honorificè ſic prędicamus ut Dei dona, cui in ſolidum omnium bonorum laudem tribuendam cenſemus, & de quo potiſſimúm ſpe pendere debemus; cum tamen Deus terrę incolas magna ex parte omnium ſcelerũ colluvie contaminatos perſpexiſſet, indignoſque principe tot tantiſq; virtutibus & vitę integritate ornato, voluit eum relicta terra inquinata, eò citiùs in cœlum redire.

Vt vitij.] Quemadmodum peccatorum ſementem fecimus, ita

eorum

eorum fructum meſſuimus, varia ſcilicet ſupplicia quo in numero ſunt fames, peſtilentia, diſſentio civilis, rumores etiam belli futuri, & principis noſtri de vitæ huius curriculo deceſſus omnium malorum acerbiſſimus, quem nos peccatis noſtris tanquam lapidibus in eum coniectis obruimus.

Tot domitis.] ſupplicia de peccatis ſumpta ſequitur hortatio ad reſipiſcentiam, qua ſcelerum comites tolluntur, horror, ſcilicet conſcientię, & ira divina, quam authore prӕeunte, oratione ſequenti unumquemque fidelium deprecari opportet.

Magne Parens.] Hac precatione petuntur, verus dolor, pudor & odium peccati, ablutio originalis labis innocuo Chriſti ſanguine, gaudium in Deo placato morte Servatoris noſtri, illuminatio intelligẽtiæ, ut vitam reliquam conformemus prӕſcripto ipſius verbi, ut ſic Deus velit nobis incolumes conſervare parentes tanto principi ſuperſtites, & reliquę ſobolis regię, extincto fratre, virtutem & lumen elucere patiatur.

Fama tui.] Poſtulatur etiam perſeverantiæ donum in vitæ integritate, ſi enim comperiemur canum ſimiles ad vomitum revertiſſe, verendum eſt, cum Deus viridem arborem & Cupreſſum exciderit, ne multo graviora ſequantur ſupplicia ęterna tum corporis tum animę; Mors enim prima omnibus cõmunis impiis & pœnitere neſciis viam pandit ad ſecundam & æternos cruciatus; Contra vero piis aditum dat ad vitam æternam, pacem, gloriam, & gaudia cœleſtia.

Fœlices animæ.] Concluſionis loco adhibetur omnibus conſolatio a fœlici conditione animarum piarum corporibus ſolutarum quòd & abſint ab omni malo, & ſummo bono fruantur, & ſpe futuræ reſurrectionis corporum ſuorũ, qua incredulí carent, nobiſcum alantur.

FINIS.

14848

Julius, A.